

AUGUSTISSIMO

ET

POTENTISSIMO

PRINCIPI ET DOMINO

ALEXANDRO I

IMPERATORI

ET

AUTOCRATORI

ROSSORUM OMNIUM

ETC. ETC. ETC.

AUGUSTISSIMO

POTENTISSIMO

PRINCIPALISSIMO

ALEXANDRO

IMPERATORI

ET

AUTOCRATORI

MOSCOVITICUM

ET



Reli
TUO
Cath
ia el
novi
anti
pot
Cod
ctissi
pens
grus
ad R
rante
datum
ratiore
occup
eximio
ces no
in Ros
Codici
rium b
cund
ribus

AUGUSTISSIME
ET
POTENTISSIME IMPERATOR,
DOMINE CLEMENTISSIME.

Religiosissimorum ac sapientissimorum maiorum TUORUM, *Alexii Michaëlidis, Petri Magni et Catharinae Magnae*, impensis, cura et providentia effectum est, AUGUSTISSIME IMPERATOR, ut haec novi Testamenti Graeci editio praestantissimis et antiquissimis Codicibus Graecis a me conformari potuerit simillima. *Alexius Michaëlides* enim Codices illos, qui nunc Mosquae in utraque Sanctissimae Synodi bibliotheca servantur, magnis impensis in Graecia coëmerat; *Petrus* vero ille *Magnus* primus curaverat, ut eorum aliqua notio, et ad Rossos, et ad exterarum gentes perveniret: impetrante autem *Catharina Magna* mihi negotium datum fuerat, ut, quid singuli continerent, accuratius traderem notitia. In eo duodecim annos occupatus opere, facile intellexeram, inter caeteros eximios Codices primas tamen partes tenere Codices novi Testamenti. Igitur et antea, cum adhuc in Rossia essem, novam eius editionem ex istis Codicibus curaveram, et nunc, pluribus etiam plurium bibliothecarum Codicibus instructus, hanc secundam novis accessionibus locupletavi ac proviribus perfecit. Ut vero eam TIBI, AUGUSTISSIME

IMPERATOR, dicare auderem, plures fuerunt caussae. Commendari enim TIBI poterat, ut ex maiorum TUORUM ac TUIS thesauris ditata. Duo priores prioris editionis tomi dedicati fuerant *Catharinae Magnae et Divo Parenti TUO*, eo tempore Magno Rossorum Duci, ac testibus epistolis Schuvalovii, cubiculariorum imperialium summi tunc praefecti, benignissime accepti fuerant. Spem igitur fovebam maximam, fore, ut hic libellus, triginta annorum assiduo excultus studio, nec a TE, IMPERATOR AUGUSTISSIME, repudiaretur. Animum mihi augebat etiam commune gaudium omnium, statim sub auspiciis imperii TUI conceptum atque in dies singulos magis magisque per universum terrarum orbem diffusum, et fama sermonibus omnium celebratissima de TUIS virtutibus; non solum illis imperatoriis, sapientia, iustitia, animi magnitudine, fortitudine, constantia: verum etiam de his lenioribus et humanioribus, nec tamen minus imperatoriis, aequitate, comitate, clementia, bonitate, quae sapientium iudicio aetatum omnium tantae aestimatae sunt, ut hominem per eas proxime ad naturam maiestatemque divinam accedere arbitrarentur

et eis clari et insignes *deliciae generis humani* appellarentur. Novissime celebrabantur etiam beneficia, honores et iura Dorpatensi Universitati, vel verius ut dicam, non uni Universitati, nec solis iis, qui nunc ibi sunt, professoribus, viris clarissimis, nec uni genti aut aetati, sed in universum sapientiae et sapientibus futurarum etiam aetatum, non regali solum, sed inusitata ante hunc diem magnificentia sapientissime ac liberalissime a TE tributa. Fundaverant enim ante TE, IMPERATOR AUGUSTISSE, multi principes, reges et imperatores universitates: sed multi ita fundaverant, ut aliae dudum iam corruerint, aliae ruinis sint proximae. Ipse vero, dum *Augustissimo Parenti TUO* pro summa pietate TUA monumentum hoc ad eius memoriam durabile posuisti: simul sapientiae et liberalitati TUAE monumentum posuisti aeternum. TIBI ergo, tam sapienti Principi, tam litterarum amanti, tam erga omnes benevolo, si ipse etiam hanc opellam meam, quae maxima parte Rossicae esset origenis, offerre et ante oculos ponere auderem, pro singulari indulgentia TUA facile me impetraturum esse veniam existimabam. Ut autem divina promissa et

praemia, piis et religiosis in his libellis proposita,
TIBI, AUGUSTISSIME IMPERATOR, atque universae *Au-*
gustissimae Familiae TUAE hoc et futuro aevo
largissime et cumulatissime contingant, summa ani-
mi pietate atque ardentissimis precibus opto.

IMPERATORIAE MAIESTATI TUAE

WITTENBERGAE

D. I. MAI. 1803.

MAXIME DEVOTUS

CHRISTIAN. FRIDER. DE MATTHAEI

COLLEGIORUM IMPERALIUM ROSSICORUM

ASSESSOR ET PROFESSOR WITTEN-

BERGENSIS.